

atque sollicitudinibus versabantur ; neque ob dissidentia studia , variis licet dictis ex suggestu sententiis , quidquam decernebatur ; cum interea Columna responsum acrius urgeret , atque majori vi ad fœdus amplectendum compellere Patres eniteretur . Nono igitur kal. majas iterum coacto Senatu , ejusmodi decreto respondet , quo Reipublicæ in suscipiendo bello virtus , ac constantia , oblatæ sæpius paciscendi cum hoste conditiones abjectæ , propensum in fœdus studium memorabantur ; cur iis , quæ ab Hispanis proponerentur , non ad sentiretur , causæ continebantur . Quæ Pontifex pollicitus fuerat , tantummodo petebantur , ut scilicet Hydrunti medio majo octoginta regiæ triremes in promptu , atque expeditæ forent ; copiæ , navigia , ac reliqua ad bellum necessaria currentur ; in viginti , ad ducentas explendas , triremibus instruendis sedulo studium collocaretur ; quidquid a Republica , præter eam , qua tenebatur , pecuniæ pensionem , persolveretur , tantumdem ei in Italiæ civitate aliqua reponeretur ; præter undecim triremes , quæ Pontifex auxilia Reipublicæ præstaturus esset , exprimeret , ut quibus viribus bellum adeo ingens administrare posset , certo intelligeret .

Senatus consulto Columnæ , ut moris est , perlesto , ad singula capita respondet : ut octoginta triremes medio mense majo instructæ essent , ob injectam fœderis subscribendi moram fieri non posse ; labente majo , omnes in promptu fore ; neque ob id ulla in re defuisse Philippum sibi videri , cum fœderis lege caveretur , ut quidquid a sociorum aliquo exhiberi non posset , ab aliis , persoluta pecunia , efficeretur . Granvelanum , Neapolitani regni Proregem designatum , ut quamprimum viginti triremes armarentur , enixurum ; de navibus nihil certi affirmasse , uti de copiis , quæ jam coactæ erant , pollicitus fuerat : quod tandem de pecunia reponenda petetur , id regiæ dignitatis non esse arbitrari , cum præsertim magna frumenti copia ex illius ditionibus convecta penes Rempublicam sit . Demum se Pontificem ad ea subsidia , quæ maxima ab eo proficiisci possent , Reipublicæ exhibenda cohortaturum ; dum æqua postularentur , quin cuncta impestrarent , nihil se vereri . De his omnibus statim Pium , atque regios certiores facturum . Ad ea subinde ejusmodi a Pontifice

*Senatus
Responsum.*

*Marci An-
tonii Colu-
mnæ novæ
de fadore
sanciendo
responsum.*